



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad  
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

**Luxemburgi, 1758**

Pontificatus Anno XV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74789)

& Psalmum *Lavabo*, eadem vulgari lingua, latinique characteribus impressa, nulla desuper a Nobis facultate, & approbatione præobtentâ, sibi, aliisque Sacerdotibus legenda proponere: Idcirco ne hujusmodi abusus, qui eundem Ritum miscere ac turbare facile posset, latius progrediatur; postquam alius Noster editis Constitutionibus, nimirum quinquagesima septima cui initium *Esti pastoralis*, & octogesima septima incipiente *Demandatam calitus*, quæ extant in Bullarii Nostri Tom. I. p. 167. & 290. \* Græcorum Rituum conservationi, & integritati, pro Italo-Græcorum, & Græco-Melchitarum Nationibus, abunde providimus; eandem nunc sollicitudinis Nostræ curam ad Illyricam Nationem convertentes, suprema, qua fungimur Apostolica auctoritate, volumus, præcipimus, atque mandamus, ut Ecclesiastici omnes & Sacerdotes tam Seculares, quam cujuscumque Ordinis, aut Instituti Regulares, qui Ritum Slavo-Latinum profitentur, in Augusto Altaris Sacrificio, & in Horis Canonici, aliisque divinis Officiis perfolvendis ac obediendis, Missalia, Tabellæ, & Breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis Congregationis Propagandæ Fidei, quæque in posterum ibidem imprimuntur, non sine præviis opportunis revisionibus, & approbationibus, aliisque diligentibus hucusque adhibitis, & deinceps adhibendis a Viris doctis, & Slavo-Latinum idioma, ac Hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura antea facta sæcula ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant, & teneantur: utque in posterum nemo ex prædicto Clero, in Missis celebrandis, aut in divinis Officiis perfolvendis, Orationes & Preces, quæ nostra, & Apostolicæ Sedis auctoritate examinatæ non fuerint, & approbatæ, recitare, aut quoquo modo adhibere audeat, seu præsumat.

\* In hac Editione Tom. XVI. p. 94. & 166.

Quibus proscriptis veterior redinegratur, novisque Sanctionibus ejusdem firmitati consuetur.

Quarum Executio Archiepiscopis & Episcopis demandatur.

Decreta pro premiorum humitate.

Derogatio contrariis.

§. 2. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostri Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum Diocæsiibus Ritus Slavo-Latinus viget, committimus, atque injungimus, ut pro zelo & sollicitudine, qua tenentur conceditis sibi Oribus præesse, & Sacrorum Ecclesiæ Rituum integritati advigilare, sedulam exactamque hujuscæ Nostræ voluntatis, ac districti præcepti executionem curent, atque urgeant, ac novitates omnes, irrepitosque quoslibet abusus eliminant, adhibitis efficacioribus remediis a Sacris Canonibus in pervicaces & refractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patiantur.

§. 3. Decernentes has Nostras Litteras, & in eis contenta hujusmodi, semper & perpetuo firma, valida, & efficacia existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: sicque, & non aliter præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, horumque Congregationes, necnon Apostolicæ Sedis Nuncios, & quosvis alios quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam in Synodalibus forsan, aut Provincialibus Conciliis editis Constitutionibus, aut Decretis; Privilegiis quoque, & Indultis eidem Nationi Illyricæ, ejusque Ecclesiis, atque Præsulibus, quavis etiam Apostolica auctoritate concessis, ac iteratis vicibus confirmatis, & innovatis, ac usibus,

stylis, & consuetudinibus quantumvis diuturna observantia firmatis; quibus omnibus, & singulis, tenore præsentium, & ad præmissum effectum, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides transumptis habenda.

Sanctio penal.

§. 6. Nulli ergo Hominum liceat paginam hanc Nostræ Declarationis, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, decimo octavo Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri anno Quartodecimo.

Dat. die 17. Aug. 1754. Pontificatus XIV.

D. Card. Passioneus.

J. Card. Pro-Datar.

V I S A

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Quinque-Ecclesiensis Episcopus, ejusque Successores, perpetua Pallii usus, ac prægestandæ Crucis concessione donantur, sub certis modis ac conditionibus.

XXXIX.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANUS Pontifex in Beati Petri Sede ad universæ Ecclesiæ regimen à Deo constitutus, dum Apostolicæ benignitatis favores inferiorum Ecclesiarum Præsulibus circumspècta liberalitate distribuit, non modo supremam illam exercet potestatem, quam sibi veluti hæreditate relictam agnoscit a Beatissimo Apostolorum Principe, a quo, ut Sanctus Innocentius inquit, *Episcopatus ipse, & tota auctoritas nominis hujus emergit*; sed illud præterea efficere studet, ut animarum Pastores sacris honoribus aucti, majorem sibi a subiectis Populis reverentiam concilient, utque ita uberiores spiritualis sollicitudinis suæ fructus ex eorum docilitate & obedientiæ percipiant.

Proœmium. Pontifices in distribuendis honoribus inferiorum Ecclesiarum Præsulibus, jus suum exercent, & animarum salutem prospiciunt.

§. 1. Porro inter eximia sacre dignitatis decora, quæ ab Apostolica Sede diversis per Orbem Ecclesiis, earumque Antistitibus, indulgeri consueverunt; & Sacri Pallii usus, & jus præferendi Sanctissimæ Crucis signi, merito numerantur. Quorum primum illud, materiæ quidem simplicitate, ipsaque sui specie exiguum, sed Pontificiæ Benedictionis munere, & mysteriorum significatione pretiosum, e sanctiori Ecclesiæ Thesauro, nimirum ex veneranda Beati Petri Apostoli

Inter præstantiora honoris insignia Pallii usus recensetur, & jus prægestandæ sibi Crucis.

Pallii Missicum indumentum quibus detur.

Confessione desumptum, certis dumtaxat tribuitur insignium Ecclesiarum Praefulibus, iisdemque enixe postulantis, & peculiarem obedientiam & fidem Romano Pontifici, solemnibus iuramentis interpositione, spondentibus: Ut, sicut olim Dominus noster Jesus Christus, ovium suarum curam eidem Beato Petro committens, conditionem posuit dicens, *Si diligis me, pasce Oves meas*; Ita non aliis praestantiora haec Pastoralis Officii insignia tradantur, quam qui Apostolicae Sedi subjectionis debitae signa persolvant, quae ipsos cum Beato Petro tamquam membra de membro habere, & Catholici capitis unitatem servare declarent.

Mythica itidem, plurimaeque virtutis praestatio Crucis sublimis.

§. 2. Erectae autem Crucis delatio, Salvatoris nostri, cuius legatione fungimur, humilitatem pariter, & potentiam declarat; atque ita intuentium animos allicit ad illius excipiendam praerogativam, qui exaltatus a terra, omnia traxit ad se ipsum, ut simul etiam praevicarios admoneret, hoc idem Crucis signum in Caelo fore, quum Dominus ad iudicandum Orbem Terrae in splendore Majestatis adveniret. Quae quidem Indulta, licet olim solis Apostolicae Sedi Vicariis concedi consueverint, deinde vero omnium Ecclesiarum Metropolitanarum Praefulibus communicata, ad minoris autem Ordinis Antifites, nimirum ad simplices Cathedralium Sedium Episcopos, nequaquam extensa fuerint; nihilominus omnium saeculorum monumenta testantur, eadem praerogativa quibusdam Ecclesiarum Pastoribus, etiam Metropolitanico jure & potestate carentibus, ex Apostolicae Sedi indulgentia, nunc personali privilegio peculiaribus ipsorum meritis debito, nunc autem perpetua concessione, ad illustrium Ecclesiarum splendorem augendum cummandumque, tributa fuisse.

Verustior, recentiorque praxis Sanctae Sedi in huiusmodi indulto concedendo.

Quinquecensis Ecclesiae erectio ac dignitas.

§. 3. Cum itaque Ecclesia Quinquecensis, Provinciae Strigoniensis, in Hungaria Regno constituta, Sancti Stephani I. quondam Hungariae Regis pia liberalitate fundata atque dotata, & tam in Ecclesiastica Hierarchia, quam in praedicti Regni Ordine multis nominibus clara, & illustris, hac olim praerogativa, de tempore recol. mem. Innocentii Papae III. Praedecessoris nostri gavisa fuisse dignoscatur, ut illius Episcopus, ex Romani Pontificis concessione, Pallio uteretur; quod constat ex ejusdem Innocentii Papae litteris relatis in Cap. *Cum in Juventute, de praesumptionibus*: Et licet aliquorum opinione, eorum probabilius sententia videatur, qui Indultum ejusmodi tunc existentibus Episcopis dumtaxat, non autem illius Successoribus tributum fuisse putant; quum tamen major Canonistarum, aliorumque Scriptorum numerus, privilegium ipsam Ecclesiae Quinquecensis, ejusque Episcopis pro tempore existentibus concessum, nec nisi ob lacrymabiles ejusdem Ecclesiae vicissitudines, quae sub gravissimo Turcarum iugo diu oppressa jacuit, amissum fuisse arbitretur; Hinc factum est, ut plures ejusdem Ecclesiae Episcopi, dum illius statum Apostolicae Sedi praescriptis temporibus de more referrent, & opportuna suis rebus postulata proponerent, ad praedicti privilegii usum se reintegrari petierint. Quod cum, etiam nuper existens Quinquecensis Episcopus in sua relatione, quam anno 1748. per occasionem visitationis Sacrorum Liminum, ad Nos & Apostolicam Sedem transtulisset, atque iterum Ven. Frater Georgius modernus ejusdem Ecclesiae Antifites, enixis precibus postulaverint; eorum autem votis Carissima in Christo Filia Nostra Maria Theresia Hungariae & Bohemiae Regina Illustris, in Romanorum Imperatricem Electa gravissimum supplicationis suae suffragium adjunxit: Nos, attentis praemissis, & tam devotionis nostrae affectum erga memoriam Beati Regis ejusdem

Pallii honore olim gavisa.

Huiusmodi indultum alii personale.

Perpetuum alii arbitrantur.

Iterate Quinquecensium Episcoporum, & Reginae Hungariae preces pro novi indulti concessione.

Ecclesiae Fundatoris de Catholica Fide & Religione optime meriti, quam paternae voluntatis nostrae studium erga ipsam Mariam Theresiam Reginam & Imperatricem Electam, cujus egregia ad hunc diem extiterit in Nos, & Apostolicam Sedem officia, amplius declarare volentes, praefati etiam Georgii moderni Quinquecensis Episcopi zelum atque virtutes iusta aestimatione pensantes, eundemque a quibusvis suspensionibus, & interdictionibus, &c. censentes; eidem Georgio Episcopo, ut ipse & ejus Successores Ecclesiae Quinquecensis Praefules pro tempore existentes, de caetero perpetuis futuris temporibus Sacrum Pallium in solemnitatibus & functionibus in Pontificali Romano descriptis, induere & gestare, ac etiam Crucem ad initar Archiepiscoporum ante se elevare & gestari facere, in dicta Quinquecensi Civitate & Dioecesi dumtaxat, & non alibi omnino, sive in alienis Dioecesibus, sive in praedicti Hungarici Regni Comitibus, sive in quibusvis aliis locis Episcopo praefato non subiectis, etiam si Ordinariorum Locorum licentia ad id accederet; nec etiam in dicta Civitate & Dioecesi Quinquecensi, in praesentia alicujus ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, vel Nostris, & ejusdem Sedi Apostolicae Ordinarii aut Extraordinarii Legati, seu Nuncii, vel Archiepiscopi Strigoniensis, nisi de eorum respectivo consensu, sub gratiae & concessionis huiusmodi nullitate; & dummodo quoad Pallium praedictum tam ipse Georgius, quam illius Successores Quinquecenses Episcopi pro tempore futuri, illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure vel consuetudine servandis, & postulare, & consuetudo fidelitatis debitae juramento edito, accipere, atque in similibus observari solita adimplere teneantur, nec ante acceptum Pallium erectae Crucis gestationem sibi licitam esse noverint; Utque deinceps, salvo in omnibus Jure Metropolitanico Ecclesiae Strigoniensis, illiusque Archiepiscopi pro tempore existentis, & nihil immutato praecedentiae ordine inter ipsos Episcopos Quinquecenses, aliosque Episcopos, sive ejusdem, sive alterius Provinciae, haecenus de jure, usu, aut consuetudine, in quibusvis functionibus, confessionibus, aut comitiis servari solito, huiusmodi Pontificalis honoris insigniis uti liberè & licite possint, & valeant, de Apostolica auctoritatis plenitudine, tenore praesentium, concedimus & indulgemus.

Quorum ob egregiam meritam, & Beati Fundatoris inclitam memoriam.

Perpetuum indultum utendi Pallio, & praestanda Crucis Quinquecensibus Episcopis conceditur, sub certis tamen modis ac conditionibus.

Decreta ad Indulti firmitatem.

§. 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, nec unquam sub quibusvis generalibus similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse & fore, ac ceteri; ac dicto Georgio Episcopo, ejusque successoribus dictae Quinquecensis Ecclesiae Praefulibus pro tempore existentibus, perpetuo suffragari, necnon ab ipsis respective in omnibus, & per omnia observari; sicque, & non alias, per quoscumque Judices, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac dictae S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, ejusdemque Sedi Nuncios, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter judicari, aut respectivè attentari contigerit.

Derogatio contraria.

§. 5. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus; seu dictae Quinquecensis, aut alterius cujuscumque Ecclesiae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Nul-

§. 6. Nulli ego omnino Hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, concessionis, Indulti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem &c. incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, Kalendis Septembris, Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Card. Pro-Datarius.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Dat. r. Sep-  
temb. 1754.  
Pont. XV.

XL.

S. Leoni I. Papæ & Confessori, Missa & Officium decernitur sub Ritu Sanctorum Doctorum.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Proximis.

MILITANTIS Ecclesiæ auctor rectorque Deus, quum eam super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ædificaverit, summoque angulari lapide Christo Jesu inixam voluerit, tum provido cavit consilio, ut ad illius custodiam atque præsidium usque in seculorum finem advigilarent egregii sanctique Doctores, qui nedum sublimioris virtutis exemplo Fidelium mores ad Sanctitatem justitiamque componerent, sed etiam doctrinæ vi & excellentia eosdem in Fidei sinceritate, & salutaris scientiæ veritate continerent. Horum quidem operam tanti se facere ostendit communis Dominus & Magister, ut eos Sal Terræ, & Lucem Mundi appellaverit; utpote qui, non vivæ tantum vocis officio, quemadmodum ceteri sanctorum plebium pastores, præsentium sibi populorum salutem consulenti erant, sed peculiari sapientiæ lumine Spiritus Sancti dono ditati, doctissimis conscriptis Libris, universam Ecclesiam instruere, & omnium seculorum posteritatem in Religione erudire debebant. Hinc Ecclesia ipsa, Sponsi sui Spiritu imbuta, easque instituta servare studens, eosdem gloriosos Viros uberiori doctrinæ munere a Deo repletos, hoc singulari honore prosequi consuevit, ut in solemnibus Sacris, quæ recurrentibus eorum festivitibus celebrantur, tam scilicet in Sacrificio Missæ, quam in Ecclesiasticis Officiis, ejusmodi preces, lectiones, & laudes adhiberi jubeat, in quibus & Sancti Doctoris titulus ipsis tribuitur, & eorum sapientia ac doctrina specialius prædicantur.

Gloriosi Viri non Sanctitate solum, sed & doctrina conspicui, in Missa & Divinis Officiis uti Doctores celebrantur.

Quantopere doctrina præfuerit S. Leoni I. Pontifici.

§. 1. Porro inter eos, quorum natales dies hoc peculiari ritu ac privilegio decorantur, merito semper numerandum existimavimus Prædecessorem Nostrium Sanctum Leonem I. Romanum Pontificem, qui (ut doctissimi Cardinalis Baronii verbis utamur) ob excellentem virtutem, doctrinam, & in cura pastoralis vigilantissimum studium, a majoribus MAGNI cognomento jure

meruit appellari. Cujus quidem doctrinæ excellentia, sive in altioribus Fidei nostræ Mysteriis explicandis, & contra insurgentes errores vindicandis, sive in tradendis disciplinæ regulis, & morum præceptis, cum singulari Sacerdotalis eloqui gravitate & ubertate, adeo elucescit, ac etiam tot hominum laudibus cumulata, tantoque Conciliorum, Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum studio & consensu celebrata dignoscitur, ut sapientissimus Pontifex nulli ferme Sanctorum Doctorum, qui in Ecclesia floruerunt, aut fama, aut existimatione postponendus esse videatur. Et sane Sancta universalis Synodus apud Chalcedonem congregata, non illum tantummodo vocis Beati Petri interpretem appellavit, sed & illius de Incarnatione Domini doctrinam veneranda suscipiens, exclamare non dubitavit: *Petrus per os Leonis locutus est.* Idem Sanctus Pontifex a Concilio Constantinopolitano sub Menna celebrato, *iluminator & columna Ecclesiæ*; idem a sexta Synodo, *firmamentum orthodoxæ Fidei* prædicatur; Idem in pervetusto Synodorum Libro *Apostolicorum dogmatum defensor, & Apostolis coequandus* dicitur. Quid autem clarissimi Religionis nostræ Proceres ac Patres? Sanctus Sophronius Hierosolymorum Antistes *Sanctissimum Romanæ Ecclesiæ, immo omnium, quæ sub Cælo sunt, luminare*, Leonem fuisse affirmavit. Utque aliorum innumera prætereamus testimonia, S. Nicolaus Papa I. ad Michaelem Imperatorem scribens, libere asseruit, quod nisi Deus Leonis virtutem atque doctrinam adversus Latrocinium Ephesinum exciasset, *Religio Christiana penitus corruisset.* Esti autem Ecclesiæ, inter eos, quos Doctorum titulo & appellatione distinguit, Sanctum Leonem Pontificem nondum peculiari Decreto recensuit; illius tamen doctrinam tanto in honore se habere ostendit, ut ipsius scripta, non secus ac illorum, quos præcipuos Religionis Magistros atque Doctores jamdudum veneratur, in Divinis Officiis frequenter locum habere jussit; & in iis præsertim Solemnitatibus, quibus majora Fidei nostræ Mysteria per anni cursum recoluntur, universam Clerum & Populum ex illius Sermonum lectione solidam eruditionem, & spirituale pabulum haurire voluerit.

Præclarissimum de ea testimonium Conciliorum ac Patrum.

Peculiares præterea obsequii sui causas recenset Pontifex.

§. 2. Ad hæc autem, quæ de Sancti Leonis meritis & gloria cum omnibus sentimus, & jampridem animo Nostro reputavimus, peculiaris quædam, Nobisque cum paucis communis, accedit causa, quæ Nostram olim erga ipsum pietatem & venerationem magnopere accendit & auxit; quod scilicet, dum in Vaticana Beati Petri Basilica Canonica dignitatem in minoribus obtineremus, quum Sacrum illius Corpus, a multo jam tempore sub Altari Sanctæ Mariæ de Columna nuncupatæ quiescens, ad alterum ipsius Sancti Pontificis nomine in eadem Basilica erectum & dedicatum, solemniter ac pompa transferendum fuit, venerabilium illius officium elevationi & recognitioni præsentem adsumimus, eaque nostris oculis intueri, ac debito cultu prosequi, summæ felicitatis loco habuimus; cujus rei Nos alibi, nimirum in Opere de *Canonizatione Sanctorum Lib. IV. Part. 11. Cap. XXXIII.* mentionem fecimus.

Quantopere ejus Officium & Missam sub Ritu Sanctorum Doctorum celebrari jubet.

§. 3. Quod itaque semper, præmissis ob causas, justum & æquum censuimus, quodque Nostra in Sanctum Pontificem singularis devotio Nobis suadet, hoc demum, auctoritate Apostolicæ Sedis, in qua, magno licet temporum, majore autem meritorum intervallo, eidem successimus, nunc re ipsa præstare decrevimus;

Ideoque exempla sequentes aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui præter summos illos Ecclesiæ Doctores, alios etiam Sanctissimos Viros, qui eximia doctrinæ laude in Ecclesia floruerunt, eamque Scriptis suis locupletarunt, proprio Doctorum titulo & cultu honorandos esse decreverunt, Motu proprio, & certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, volumus, præcipimus, & mandamus, ut in Officii Divini Breviario, in Festo Sancti Leonis Papæ & Confessoris, Antiphona ad Magnificam in utriusque Vesperis ponatur ea, quæ incipit: *O Doctor optime*; In Missa autem dicatur Introitus: *In medio Ecclesiæ*; & post Collectam subsequatur Lectio Libri Sapientiæ: *Iustus cor suum tradet*; cum Graduali, ut in Comuni Doctorum: Post Evangelium verò dicatur *Credo*; Reliqua, ut in consueta Missa propria de Sancto Leone. Atque ita per omnes Ecclesias, & respectivè ab omnibus & singulis, qui ad Divini Officii recitationem tenentur, perpetuo servandum statuimus & decernimus: Non obstantibus contrariis Rubricis, usibus, & consuetudinibus, etiam expresse per Sedem Apostolicam approbatis & confirmatis, aliisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Derogatio contrariis.

Sanctio.

§. 4. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostræ præcepti, mandati, statuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, Idibus Octobris, Pontificatus Nostræ Anno Quintodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Card. Pro-Datarius.

V I S A

De Curia J. C. Boschi.

Loco † Plumbi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 9. mensis Novemb. 1754.

XLI.

Centum insigne Oppidum, Bononiam inter & Ferrariam, in Civitatem erigitur, cum omnibus juribus, honoribus, & prerogativis, quibus reliquæ Pontificiæ Ditionis Civitates fruuntur: ita tamen, ut quoad spirituale vel temporale gubernium nihil plane innovetur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Progenium.

APOSTOLICÆ Sedis Majestati convenit, temporalis suæ Ditionis Oppida, quæ temporum cursu, & Civium industria, ad insignem amplitudinem excrevisse dignoscuntur, splendidioribus titulis, & honoribus decorare, ut fidelium Subditorum animi, virtutis, & devotionis suæ præmium agnoscant, locorumque opibus, & virtutibus, paria dignitatis, & Ordinis ornamenta respondeant.

Centum compluribus, nec vulgaribus.

§. 1. Sane inter Panarum, & Rhenum Amnes, æquali ferme distantia a Bononia, & Fer-

raria Civitatibus Nostris, extat illustis Terræ, Centum nuncupata, quæ in Spiritualibus Archiepiscopali Ecclesiæ Bononiensi subest, in temporalibus autem per pro tempore existentem Apostolicæ Sedis Legatum Ferrariæ constitutum regitur, ac Civium frequentia, honestarum Familiarum copia, Virorum illustrium fama, artium cultu, Edificiorum elegantia, Ecclesiarum etiam, Cœnobiolorum, aliorumque pliorum Locorum numero, ipsaque agri ubertate, & amplitudine, super plurimas Pontificiæ Ditionis Nostræ Terras longe excellit; ideoque digna videtur quæ illustriori Civitatis titulo, atque huic adnexis convenientibus prerogativis condecoretur.

§. 2. Quam in rem Nos quidem eo magis propensum animum gerimus, quod ipsius Terræ amplitudinis, & formæ, Civium conditionis, ac vigentis in ea tum Sacrorum Officiorum decoris, tum etiam Civilis Politicæ notionem, non ex aliorum scriptis, aut relationibus traditam, sed nostrismet ipsis oculis acceptam retinemus, ex quo, dum Archiepiscopali Ecclesiæ Bononiensi præeramus, non solum in Pastoralis visitatione Dicecesim perultrantes, memoratam Terram pluries invisimus, equique res omnes plene cognovimus, sed singulis ferme annis certum temporis spatium, tum valetudinis Nostræ, tum etiam fluidiorum Nostrorum rationibus opportunissimum, in ea transigere consuevimus; unde illius Cleri, & Populi obsequiis, officiique devincti, Paternæ benevolentie affectum in eos merito conceptum, in hoc etiam Summi Apostolatus fastigio, Dei bonitate, constitui, retinemus; eodemque adhuc tum univeros, tum singulos ipsius Terræ Cives & Incolas ex animo prosequimur, specialiter verò dilectum Filium Hieronymum Barusaldum illum Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Blasii Episcopi, & Martyris Archiepiscopatum, quem Nobis & Locum Dignitas, & sedula Officii ejus administratio, & non vulgaris doctrinæ atque eruditionis fama commendant.

§. 3. Quapropter ipsius Terræ Centi splendorem, & decus augere, & cumulare volentes, ejusdemque Communitatem, & Homines, ac eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ, & supræmæ Nostræ potestatis plenitudine, dictam Terram Centi in Civitatem, harum serie, in perpetuum erigimus, & institui-mus: eique Civitatis titulum, & denominationem, cum omnibus honoribus, juribus, prerogativis, ac decorationibus, quæ ceteris omnibus ejusdem Ditionis Nostræ Pontificiæ Civitatibus, non tamen ex peculiaribus titulis, competere dignoscuntur: Necnon Magistratu ejusdem Terræ, per Nos in Civitatem, ut præfertur, erectæ, consuetos honores, & insignia, quibus aiam ejusdem Ditionis Civitatum Magistratus de jure, usu, vel consuetudine gaudere solent, seu debent; ita tamen, ut eadem Terra, per Nos in Civitatem, ut præfertur, erecta, Venerabili Fratri Nostræ Moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo Bononiensi, ut antea, in spiritualibus subiecta remaneat, nec ipse Archiepiscopus apud eam residere teneatur, ac etiam in temporali, ipsius gubernio nihil innovetur, eadem autoritate concedimus, & elargimur.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, iisdem præmissis non

Pæculares quædam præmeriti Pontificii amoris, causæ.

Unde in Civitatem erigitur, cum omnibus juribus, honoribus, & prerogativis, quæ cum novæ Civitatis Magistratu communi-cantur.

Ita tamen, ut quoad spirituale, vel temporale gubernium nihil innovetur.

Firmantur præmissa.

conferentur,

conferent, nec ad ea vocati, citati, vel auditi fuerint, aut ex alia quantumvis legitima causa, aut quovis capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consentis, aliove quolibet etiam quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, in Jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari ullo modo posse; sed ipsas presentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Camerarium, aliosque ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, & alios quoscumque quavis praeminentia, & potestate fungentes, & sancturos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter decreti contigerit, aut attentari.

Aliter iudicari prohibetur.

Derogatio contrariis.

§. 5. Non obstantibus contrariis quibuscumque, etiam Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non ejusdem Terrae, per Nos in Civitatem, ut praefertur, erectae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, quibusvis Personis, & Locis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita observata, praesentibus exprimerentur, & infererentur, pro plenarie & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, concessionis, elargitionis, decreti, & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Dat. 18. Decemb. 1754. Pont. XV.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, decimoquinto Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno Quintodecimo.

D. Card. Passioneus.  
J. Card. Pro-Datarius.

VISA  
De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.  
Loco + plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Abbati Generali Ordinis Monachorum S. Hieronymi Congregationis Italicae indultum conceditur interveniendi Cappellis Pontificiis, locumque cum aliis Abbatibus Generalibus eidem assignatur.

XLII.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam  
rei memoriam.

ROMANORUM Pontificum Praedecessorum nostrorum Religioni & decori convenire visum fuit, ut quoties sacri solemniore Ecclesiae Romanae Conventus, seu Cappellae Pontificiae, ipsis praesentibus, una cum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, & Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Praelatorum Romanae Curiae Ordinibus, vel ad Missarum solemnia celebranda, vel ad alia Ecclesiastica Officia peragenda haberentur, Regularium quoque Ordinum Generales Superiores ad illas admitterent.

Superiores Ordinum Regularium ad Cappellam Pontificiam admitti solent.

§. 1. Cum autem Abbas Generalis Ordinis Monachorum Sancti Hieronymi Congregationis Italicae, qui ut plurimum extra Romanam Curiam moram trahere solet, haecenus dictis Cappellis minime interfuerit: Et Dilectus Filius noster Hieronymus Sancti Laurentii in Damaso nuncupati praedictae S. R. Ecclesiae Diaconus Cardinalis Columna nuncupatus, ejusdemque Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarius, qui praedicti Ordinis Sancti Hieronymi apud Nos & Sedem Apostolicam Protector existit, Nobis preces porrexerit, ut dilecto Filio Felici Nerinio moderno, nec non futuris dicti Ordinis Sancti Hieronymi Abbatibus Generalibus pro tempore existentibus, locum in dictis Cappellis, & Pontificiis Functionibus, ut infra, concedere & assignare dignaremur.

Ad preces Card. Columna S. R. E. Vice-Cancellarii, Protectoris Ordinis Monachorum S. Hieronymi Congregationis Italicae.

§. 2. Nos, qui in egregium Ecclesiae Doctorem specialis obsequii studium semper professum, idque compluribus & manifestis editis argumentis testatum facere non praetermissimus; volentes quoque erga illustrem Monachorum Ordinem, illius legibus & institutis fundatum, benevolentiae nostrae significationes ostendere, dictumque Felicem a quibusvis &c. absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus libentissime inclinati; eidem Felici moderno, & pro tempore existenti dicti Ordinis Sancti Hieronymi Abbati Generali, ut ipse perpetuis futuris temporibus singulis Missis Pontificalibus, Divinisque Officiis, & aliis Ecclesiasticis Functionibus, quae in Basilicis etiam Patriarchalibus Urbis, & in Cappellis alicujus ex Pontificiis Palatiis, in praesentia quoque Nostra, solemniter celebrantur & peraguntur, nec non quibusvis generalibus Supplicationibus, cum habitu Praelatio ipsi alias a Sede Apostolica concessa, seu juxta ritum, cum Pontificalibus indumentis, interesse & intervenire, ac locum in consueto scanno, immediate post alios modernos & pro tempore existentes Ordinum Monasticorum Abbates Generales, qui simili concessione haecenus gavisi sunt & gaudent de praesenti, habere, & Missis ac Officiis & Functionibus hujusmodi durantibus, retinere, liberè & licite possit & valeat, Apostolica auctoritate, harum serie, perpetuo concedimus & indulgemus, plenamque & liberam ad id facultatem & licentiam impertimur.

Indultum conceditur Abbati Generali ejusdem Ordinis, ut Cappellis Pontificiis interesse possit.

§. 3. Decernentes ipsum Felicem, ac pro tempore existentem Abbatem Generalem dicti Ordinis Sancti Hieronymi, super concessione & indulto hujusmodi, a quoquam, sub quovis pra-

Clausula pro indulti firmitate.

textu,